



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Titvlvs X. De his, qui filios occiderunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

perdurat, amissio privilegij clericalis, &c.

Apostata à religione dicitur, qui sine licentia sui superioris regularis ab ordine religioso, quem professus est, & quocunque alio instituto regulari, propria temeritate recedit, sine proposito redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi, ad ullum religiosum ordinem. Horum Apostatarum pœnæ sunt excommunicatio, saltem ferendæ sententiæ, suspensio ab ordinum in apostasia tali susceptorum executione &c.

§. III.

De reiterantibus baptismum & eorum pœni.

Reiterantes baptismum dicuntur, qui validè baptizatos rebaptizant iterum, vel rebaptizari se faciunt, ut faciunt hodie anabaptizati (quod *Can. 112. dist. 4. de consecratione*, inopiabile facinus dicitur, pœnæ talium rebaptizantium, aut rebaptizari se facientium, sunt irregularitas, si scientes hæc talia fecerint, aut permiserint per culpam mortaliter malam, & delictum eorum sit publicum & notorium *cap. 2. h. e.* & si Clerici sint, deponuntur, si verò laici sint, excommunicantur, & jura civilia attendendo ultimo supplicio afficiuntur.

¶ (o) ¶

T I T V L V S X.

DE HIS, QUI FILIOS OCCIDERUNT.

EX *c. intelleximus 2. h. e.* habetur, quod maritus ab uxore, quæ filiam suam occiderat, separandus quidem non sit, quoad thorum, aut cohabitationem, curandum tamen sit, ut sui illa sceleris pœnam luat in foro animæ & in *c. de infantibus. 3.* dicit Pontifex, quod parentes non debeant esse

sine pœnitentiâ, si penes illos in eodem lecto jacentes infantes mortui reperiuntur, neque tamen sciatur, an morte naturali defuncti fuerint, vel parentibus oppressi, cum in *Can. consuevit 2. caus. 2. q. 5.* prohibetur sic parentibus tenellos infantes in eodem lectum illis collocare.



T I T V.